

4
postremos actus eliciant, quàm primos; difficilius enim est facere illos exprimere motivum doloris de peccatis commissis; quia Deo displicent infinitè, & quia infinitè bonus est, & quia peccatum meretur Infernum?

RESOLUTIO.

Teneri Missionarium inducere baptisandum aduleum ad eliciendum actum contritionis, vel attritionis.

OCTAVA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum conferendum sit Viaticum, aut Extrema Unctio moribundis adultis, quos Baptismi aliquando capaces credimus, non autem Communionis, aliorumque Sacramentorum?

RESOLUTIO.

Non esse administrandum Viaticum Neophyto moribundo, nisi saltem discernat cibum spirituales à corporali, cognoscendo, & credendo in Sacram Hostiam præsentiam Christi Domini.

Non esse pariter conferendum Sacramentum Extremæ Unctionis Neophyto moribundo, quem Missionarius capacem Baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi sacram Unctionem in beneficium animæ pro mortis tempore ordinatam.

NONA DIFFICULTAS.

Quæritur utrum baptisari possit Barbarus adultus morti proximus, qui plures secum habens mulieres, pollicetur se non nisi unam servaturum, si pristinae sanitati restituatur; sed qui non vult dimittere alias; anteneantur Missionarius compellere & insistere, ut Barbarus dicat, quam ex omnibus foeminam electurus sit in conjugem? vel utrum sufficiat Barbarum promittere se non nisi unam habiturum?